

85. *Non ita ut si dote careat quidem dote, habeat tamen parentum divites.* — Controversia autem inter doctores est, an mulier censeatur carere dote competente, quæ quidem de facto nil possidet, habet tamen parentes divites. Ad quam negative merito respondent Corrad., lib. VII, cap. II, n. 23; Sanchez, lib. VIII, disp. 49, n. 21; Pontius, loc. cit., cap. XXI, n. 23, § 2; Tusc., litt. D. concl. 733 et alii. Ratio est; quia parentes sufficientia media habentes tenentur competenter dotare filiam nubere volentem l. fin. c. de Dotis promiss. cum dos succedat loco legitimæ l. unic. § 41. c. de Rei uxor. act. Unde etiam parens injuste recusans dotem, potest ad eam compelli.

86. *Nisi ob copiam aliarum prolium eam sufficienter dotare non valent.* — Limitatur tamen præcedentis num. doctrina casu, quo parens dives quidem est, sed habet plures proles, ita ut competenter dotare non valeat nubere volentem, nisi eam cæteris præsertim masculis præferat, eique plus tribuat, quam istis cum tempore dare queat. Sanchez, loc. cit., n. 23. Ratio est; quia pater ad id non tenetur, consequenter ipsa a parte rei censetur adhuc carere sufficiente dote.

87. *Puella censetur pati defectum dotis, etsi spem certam habeat, sufficientem acquirendi cum tempore ex legato, hereditate, etc.* — Alia difficultas est, an femina censeatur pati defectum dotis, quæ licet de facto nil possideat, tamen spem, aut moralem certitudinem habet, quod cum tempore sit acquisitura competentem dotem ex donatione, legato, hereditate ab intestato, vel testamento, in quo forsan jam reperitur instituta. Et respondetur affirmative cum Sanchez, loc. cit., 23. Corrad. lib. VII, cap. II, n. 24; Navarr. de Rescript., consil. 49, in fine, et aliis communiter. Ratio est; tum quia, cum ad ista nullam adhuc jus habeat, et possit voluntas hominis mutari, vere adhuc dicitur pauper, et carere dote; tum quia dos datur pro sustinendis oneribus matrimonii, hæc autem statim incipiunt cum ipso contractu matrimonii, consequenter requiritur dos in re præsens, et non sufficit futura in spe.

88. *Vel post mortem parentum.* — Infertur ex hac ultima ratione etiam tunc adesse defectum dotis, quando parentum bona ita se habent, ut post illorum mortem, quibus filia tanquam necessaria hæres certo succedit, omnino quidem sufficiant pro compe-

tente dote; tamen quandiu parentes superstites sunt, iis ipsimet ad honestam, et statui competentem sustentationem ita indigeant, ut filiam in vivis competenter dotare non valeant, quin ipsi defectum patiantur in necessariis. Sanchez, loc. cit., n. 23; Henriquez, de Matrim., lib. II, cap. III, n. 23; Pontius, lib. VIII, de Matrim., cap. XXI, num. 23; Justis, de Dispens. lib. III, cap. III, n. 44.

89. *Secus est, si dos ejus præsens sit competens ad nubendum pari, licet sit incompetens ad nubendum consanguineo.* — Alia difficultas: An defectus dotis verificetur in illa, cujus dos competens quidem est ad nubendum alicui pari, sed non ad nubendum consanguineo, vel affini ditiori, aut potentiori eam ducere volenti. Ad quam respondetur negative. Sanchez, loc. cit., n. 17; Pontius, loc. cit., n. 23 et alii. Ratio est; quia Ecclesia non intendit favere puellis, ut superiorem, sed ut æqualem acquirant, eo quod taliter sufficienter jam evitetur periculum incontinentiæ, et mali eventus ex inæquali matrimonio oriri alias soliti.

90. *Quid juris? si puella tempore, quo petit dispensationem, caret quidem dote, post obtentam autem dispensationem sufficienter acquirat.* — Major difficultas alia est, an causa incompetentiæ dotis procedat in casu, quo puella vere quidem dote sufficiente caret tempore, quo dispensatio fuit impetrata, antequam tamen illa per ordinarium executioni mandetur, evadit hæres, et legataria ex testamento, vel intestato, vel aliunde acquirat sufficientia pro competenti dote? Resp. Negative. Corrad. in Praxi Dispensat. lib. VII, cap. II, num. 25. Sanch. de Matrim., lib. VIII, disp. 49, n. 27. et alii. Ratio est quia cessat dispensandi causa, at cessante causa cessat effectus. c. Cum cessante, 60. de Appellat.

91. Aliud foret, si puella hereditatem aut legatum sibi jam pridem factum, et ante obtentam dispensationem primum reseiret, postquam dispensatio executioni jam fuit mandata, et matrimonium contractum; tali enim in casu dispensatio, et matrimonium valebunt, etiamsi hereditatem acceptet. Sanchez, loc. cit., n. 28; Corrad., loc. cit., n. 27; Justis, lib. III, cap. III, n. 68. Ratio est; quia, cum defectus dotis fuerit allegatus, et matrimonium contractum tempore, quo præfata nondum acceptavit, imo inscia fuit juris ad rem, pie credendum est, men-

tem pontificis esse pro valore dispensationis, ne dispensationes, et matrimonia periculis exponantur. Sanchez et Corrad., loc. cit.

92. *X. Est ætas mulieris vigesimum quartum annum jam excedentis.* — Decima causa est ætas feminae, quæ videlicet 24. annum excedens virum sibi parem hactenus non invenit. Corrad., in Praxi Dispensat. lib. VII, cap. CCLXXXVIII; Barbos, ad Concil. Trident., sess. 24, de Reformat. Matrim., cap. v, num. 48; Pontius, de Matrim., lib. VIII, cap. XVII, n. 42, in fine. Justis, lib. III, cap. VIII et alii communiter. Ratio est; quia, sicut leges civiles solent favere puellis, 24 annum excedentibus, ita etiam pontifex; ne in periculo incontinentiæ omnino inuuptæ manere debeant. Hæc tamen causa non procedit de viduis; licet enim canones tueantur secundo nubentes contra pœnalem dispositionem juris civilis l. I, c. de secund. Nupt. juxta dicta supra tit. XXI, de secundis Nupt. tamen in hoc puncto curia Romana eis deferre non consuevit, teste stylo. Corrad., loc. cit.; Pontio, loc. cit.; Justis, ubi supra cap. VIII, n. 44.

93. *Si interea virum non invenit, qui eam peteret.* — Cæterum, uti supra n. 76. de angustia loci dictum est, non requiritur, ut ipsa puella virum sibi quærat. Corrad., loc. cit., n. 93. dummodo annum 24, tempore dispensationis revera excedat saltem per diem, vel horam, quod, si unica dies deesset, dispensatio non valeret, etsi tempore executionis dictam ætatem excedat. Pontius, loc. cit., cap. XX, num. 2. Justis, loc. cit., a numer. 43 et alii. Ratio est; quia dispensatio est stricte interpretanda juxta communem doctorum ut magis dicetur infra.

94. *XI. Est copula habita, et propalata cum consanguinea, vel affini.* — Undecima causa est copula cum consanguinea, vel affini, vel alio impedimentum habente perpetrata, et propalata ex imprægnatione v. g. subsecuta prole; Justis, de Dispens. lib. III, cap. XVII; Corrad., in Praxi Dispensat., cap. III, an. 1. allegans stylum curiæ, quæ stat loco legis, arg. c. Ex litteris de Constit. Ratio autem, cur ob hanc causam dispenset pontifex, est, ut consulatur famæ, et honori mulieris, utpote, quæ alias diffamata et inuupta maneret, vel certe virum parem acquirere non posset, scandalis etiam inde timendis, ad quæ vitanda a jure communi recedere expe-

dit per dicta supra n. 75. Advertendum tamen, quod, si copula fuit habita sub spe facilius propterea impetrandæ dispensationis, id in libello supplicationis exprimi debeat per dicenda infra n. 183, et notat Corrad., loc. cit., n. 8. Cæterum copula præhabita rite proposita juxta dicenda infra est una ex urgentioribus dispensandi causis; adeo ut intuitu illius, vel potius ob effectus inde secutos, aut secuturos, Papa non tantum cum nobilibus, sed et plebeis, etiam in propinquis, v. g. secundo consanguinitatis gradu pro foro externo quoque dispensare soleat, ut cum aliis bene advertit Justis, de Dispens. lib. I, cap. IV, a n. 322.

95. *XII. Est infamia mulieris.* — Duodecima priori multum similis est infamia mulieris inde orta, quod ob nimis familiarem, aut alias suspectum conversandi modum oratorum orta sit suspicio, licet falsa, eos carnaliter sese invicem cognovisse. Corrad., lib. VII, cap. III, n. 7. Engel, de Matrim. contra interdict. Eccles., n. 7, ubi ex hac causa dispensationem a Leone X, factam per extensum adducit. Ratio est, quæ in priori causa, videlicet ne alias mulier graviter diffamata, indeque inuupta, non sine scandalo remanere debeat.

96. *XIII. Est locus ad littus maris.* — Decima tertia causa est, si locus ad littus maris, et propterea continuis piratarum, et fidei catholicæ hostium incursionibus expositus sit, ob quod extranei difficulter haberi possunt ad nubendum cum hominibus in tali loco existentibus. Corrad., lib. VII, cap. II, n. 94. Barb. ad Concil. Trident., sess. 24, de Reform. Matrim., cap. v, n. 16, et alii. Coincidit, et easdem rationes hæc causa habet cum angustia loci.

97. *XIV. Est matrimonium bona fide contractum.* — Decima quarta causa est matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide contractum, maxime si jam est consummatum, et proles subsecuta. Et quidem si hæc jam fuit subsecuta, dispensatio facillime obtinetur. Gutierrez, canon. Quæst. lib. II, cap. XV, n. 107; Sanchez, de Matrim., lib. VIII, disp. 49, n. 33; Justis, de Dispensat., lib. III, cap. XVI; Engel, loc. cit., n. 7 et alii communiter. Ratio est; tum, quod licet proles ex tali matrimonio alias jam sit legitima c. II, qui filii sint legitimi, tamen conservatio parentum in conjugio plurimum conducat ad bonam educationem proles, ut bene notat Sanchez, loc. cit. Tum quia dis-

solutio matrimonii bona fide contracti, sine gravibus incommodis, aut scandalis raro fieri potest, arg. c. *Quia circa de Consanguin.* Et ex hac secunda ratione dispensatur, etsi proles subsecuta nondum sit, teste Diana, p. 8, tract. 3, resol. 93, in fine; Bosco, *de Matrim.*, disp. 42, sect. 13, concl. 4, n. 263.

Requiritur tamen, ut matrimonium non tantum sit contractum bona fide, sed etiam in facie Ecclesiae, et praemissis deuntiationibus ob expressam dispositionem *Concil. Trident.*, sess. 24, *de Reform. Matrim.*, cap. v, cujus textum vide supra n. 57. quod, si secus factum, vel matrimonium mala fide contractum esset, in supplicatione exprimi deberet, juxta dicenda infra § seq. num. 157.

98. XV. *Est causa generalis dicta ex certis rationabilibus causis.* — Decima quinta et generalis causa dispensandi est, vocata ex certis rationabilibus causis; dum videlicet oratores ex honesta familia, vel nobiles sine allegatione alicujus certae causae petunt dispensationem, allegando causam, vel causas in genere, et rogando, ut Papa cum ipsis dispenset certis ex causis animum eorum moventibus; ob quas etiam Papa dispensare solet, ita tamen, ut majorem compositionem, seu taxam pecuniariam solvendam eis imponat, quae pecuniae, dein ad usus pios pro bono communi applicantur, v. g., redemptionem captivorum, in auxilium pro expeditionibus contra Turcas, vel infideles, in auxilium pro missionariis apostolicis, pro restauratione ecclesiarum, etc. Justis, *de Dispensat.*, lib. III, cap. 1, n. 11; Corrad., *in Praxi Dispensat.*, lib. VII, cap. II, a n. 114. Sanchez, *de Matrim.*, lib. VIII, disp. 19, n. 35. Palao, *de Sponsal.*, disp. 4, punct. ult. § 2, n. 2. Et licet hujusmodi dispensatio de stylo curiae communiter vocari soleat dispensatio sine causa, tamen non fit sine causa animus pontificis movente, qualis reputatur etiam ipsa major taxa pecuniaria solvenda, et pro bono communi expendenda. Caeterum executor dispensationis nec de dispensationis causis indagare, nec oratores, qualem causam habeant, interrogare, neque de notabilitate, aut honesta familia oratorum se informare, aut illos, ad probandum adigere, sed dispensationem exequi illico potest, ac debet, prout bene observat Corrad., loc. cit., n. 115; Justis, *in Praxi Dispensat.*, lib. III, cap. 1, n. 114; Sanchez,

lib. VIII, *de Matrim.*, disp. 34, ut adhuc dicetur infra de clausulis.

Præter has allegat Corrad. lib. VII, cap. II, adhuc aliquas nempe: oratricem filiis gravatam; item pro Belgis: item pro Germania; de quibus vide apud ipsum.

99. *Non ob quamvis causam dispensatur in quovis impedimento: quo majus impedimentum, eo major requiritur causa.* — Quæritur II. An ob quamlibet ex dictis causam? cum quolibet? super quovis impedimento ecclesiastico? Et in quovis gradu dispensetur? Resp. Negative. Enimvero notandum ex communi omnium sententia, ut inquit Palao, *de Sponsalib.* disp. 4, punct. ult. § 2, et videndum apud Sanchez, *de Matrim.* lib. VIII, disp. 19; Justis, *de Dispensat.* lib. III, cap. I, a n. 92, et alios: primo, quod quo majus est impedimentum, eo urgentior requiritur causa; quia quo majus est vinculum, eo magis obstat prohibitio, hinc gravior requiritur causa, pro dispensanda consanguinitate, quam affinitate; major pro cognatione spiritali, quam legali: major pro dispensatione in voto solemnium, quam simplici: major ad dispensandum super impedimento criminis, utriusque vel alterius machinatione accedente, quam si neuter conjugum machinetur: major si plura obstant impedimenta, quam si unum.

100. *Sicut etiam quo propinquior gradus, major adesse debet causa.* — Secundo: quo propinquiori gradu sunt conjuncti oratores, difficilius rursus est dispensatio, et major requiritur causa. Hinc major requiritur causa ad dispensandum in primo, quam secundo; major pro hoc, quam pro tertio; major pro secundo et tertio, quam pro solo tertio: major pro mixto, quam pro simplici gradu. Ratio est, quia quo gradus propinquior est, eo minus decet conjunctio.

101. *Cæteris paribus facilius dispensatur cum nobilibus, vel divitibus, quam aliis.* — Tertio: quod cæteris paribus facilius dispensetur cum regalibus, ducalibus, et principibus personis, quam cum nobilibus; facilius cum his, quam cum divitibus, ac magis honestis personis; facilius cum istis, quam cum plebeis. Sanchez, lib. VIII, *de Matrim.* disp. 19, n. 7; Palao, *de Sponsal.* disp. 4, punct. ult. § 2, n. 1; D. Thom. 2, 2, 963, art. 2, ad 2; Ledesma, *de Matrim.* q. 56, art. ult. Covar. Bosco, cum communi, et certa aliorum unanimiter demonstrantium; id fieri absque vitio acceptationis persona-

rum, arg. *Concil. Trident.* sess. 24, *de Reform.* eo quod justa ratio id suadeat; cum inde sæpe pax et tranquillitas publica procuratur, vel stabiliatur, salusque publica magis a potentibus, quam plebeis dependeat, et multum Ecclesiae expediat, illos sibi non habere, contrarios, sed faventes. H. N.

102. *Dispositio concilii, quod dispensari non debeat super secundo gradu, nisi cum magnis principibus, non se extendit ad affinitatem ex copula illicita.* — Quæritur III. Ex quibus causis? quibusque cum personis? Et in quo gradu consanguinitatis dispensare soleat Papa? Ante responsum sciendum, quod circa dispensationem super consanguinitate, et affinitate sequentem fecerit ordinationem *Concil. Trident.* sess. 24, *de Reform. Matrim.* cap. v, ibi: « In secundo gradu (et a fortiori in primo) nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam; » ubi per secundum tam affinitatis, quam consanguinitatis gradum intelligitur, prout expresse declaravit Pius V, et tenent cum aliis Sanchez, *de Matrim.* lib. VIII, disp. 19, n. 3; Barb. *ad Concil. Trident.* loc. cit. n. 27; Coninck, tom. II, disp. 33, n. 44, et alii: dummodo affinitas ortum suum habeat ex copula illicita, seu conjugali, non vero ex copula illicita, seu fornicaria. Sanchez, loc. cit. n. 3; Barbos. et Coninck, loc. cit. cum enim affinitas ex hac proveniens sit longe minus impedimentum, et tantum usque ad secundum gradum se extendat per dicta supra tit. XIV, n. 47. Concilii Trident. dispositio de illa intelligi non debet arg. c. *Odia. de Reg. jur.* quia alias respectu personarum non principum, omnino clausa esset via dispensandi super affinitatis impedimento ex copula fornicaria: quod tamen est contra consuetudinem poenitentiarum Romanæ, utpote quæ pro foro interno (pro hoc enim dispensatio ordinarie petitur super isto impedimento affinitatis ex copula illicita, hoc ipso, quod ordinarie ex occulto delicto proveniens, sit occultum) passim, et sine ulla difficultate dispensat, etiam in primo affinitatis gradu, præsertim post contractum matrimonium, casu, quo maritus v. g. ante matrimonium copulam habuit cum sorore uxoris suæ, aut uxor cum fratre mariti.

103. Nec dubium est, quin etiam super eadem occulta affinitate in primo gradu dispensetur ante matrimonium, hoc ipso, quod juxta dicta id concilio Trident. non adversetur;

præsertim si una ex gravioribus causis v. g. prærogativa personæ, conservatio familiæ, evitatio scandali id exposcat.

104. De foro externo (casu quo delictum, ex quo oritur affinitas, esset publicum) adhuc minus esset dubium: tum ob rationem dictam: tum quia tunc semper una, vel graves adessent causæ dispensandi, cum alias oratores perpetuo diffamari, et inuupti manere, necnon periculo vitæ sæpe expositi esse deberent, præter periculum incontinentiæ, et aliorum scandalorum, uti consideranti patet, et dicitur infra n. 125.

105. *Neque ad honestatem publicam.* — Pariter per secundum gradum non intellexit impedimentum publicæ honestatis etiam in primo gradu. Sanchez, cit. lib. VIII, disp. 19, n. 3; Navarr. *de Consang. et Affinit.* consil. 4, eo quod sit longe minus impedimentum, adeo ut potestas super illo dispensandi, ex privilegio ordinarie detur episcopis, uti patet ex consueta formula supra n. 22, allegata.

106. *Quid per magnos principes intellexerit? Principum nomine qui veniant?* — Major difficultas est; quid per magnos principes intellexerit concilium Trident. Et quidem Suarez, p. III, q. 71, disp. 31, sect. 2, colum. 4, non nisi illos intelligi putat, qui nulli subduntur regi, adeoque principes, duces, et comites regibus subjectos nomine principum hic non comprehendit. arg. *Clem. un. de Baptis.* ubi Glossa, *7. Regum*, ait: « Principatum summi pro notabili potentatu merito comparando regis dignitati: » atque ita ibidem docent etiam Anchor. n. 4, et alii.

107. Sanchez vero *de Matrim.* lib. VIII, disp. 19, n. 2, præfatam interpretationem tanquam nimis strictam, merito refutans ait: venire nomine magnorum principum etiam principes titulares, qui merito magni domini vocari possunt. Item nobiles, qui sunt in aliquo potentatu, vel baronia; quia hi nomine magnatum veniunt, teste Bald. in c. *Innotuit. de Elect.* n. penult. Opulentos vero et divites nomine principum ibidem comprehendit negat.

E contra Henriquez, lib. XII, *de Matrim.* cap. III, n. 6, et ipsum sequens Gobath, *in Theolog. experiment.* tr. IX, n. 678; Tambur. lib. VIII, *de Matrim.* tr. II, cap. VII, § 2, n. 27, volunt, nomine magnorum principum intelligi non tantum reges, duces, principes supremam jurisdictionem habentes, sed etiam marchiones, barones, nobiles, imo

omnes personas opulentas, et divites, vel præcipuas alicujus loci. De quibus Tamburinus ibidem ait: Nobilem esse, cujus pater, non autem si sola mater nobilis est; ex principalioribus censerit, qui est valde potens et dives; de honesta familia autem esse, qui nulla turpitudinis nota laborant.

108. Facit pro his doctoribus praxis, consuetudo, et stylus curiæ; vi cujus constat, non tantum cum veris ac supremis principibus, sed etiam cum aliis præsertim valde nobilibus, in secundo consanguinitatis, et primo affinitatis gradu dispensari. Cum itaque in dubiis consuetudo sit optima legum interpretis c. 8, de *Consuetud.* non sine fundamento docent præfati doctores præsertim, quod, si alia fuisset mens concilii, Pontifex non tam frequenter dispensaret, hoc ipso, quia, licet possit, tamen facile dispensare non solet in concil. Trident.

109. Verum, quidquid sit de mente concilii, sufficit pro praxi scire, solere Papam ex certis causis non tantum cum principibus, sed etiam cum aliis præsertim nobilibus, divitibus, et honestis personis super secundo consanguinitatis, et super primo affinitatis gradu dispensare, uti statim patebit. Nam

110. *Cum regibus et vere principibus personis Papa dispensat super impedimento consanguinitatis in secundo gradu.* — Resp. I. Ad quæsitum n. 102, positum: quamvis Romana curia super impedimento consanguinitatis nec soleat, nec possit dispensare in aliquo gradu lineæ rectæ; nec in primo gradu lineæ transversæ (cum præfati gradus consanguinitatis jure naturæ dirimant per dicta tit. XIV, n. 27 et n. 28) v. g. cum fratre et sorore: dispensare tamen potest, et solet in secundo simplici, item in primo et secundo mixto, item in primo et tertio, necnon in primo et quarto gradu consanguinitatis. Et quidem cum regibus, et vere principibus, aut ducalibus personis etiam ex sola prærogativa personæ; communis. Patetque multiplici experientia, et stylo curiæ. Ratio est, tum quia deficiente etiam quacunque alia causa, sola prærogativa personæ principis juxta dicta n. 69, constituit causam publicam, consequenter facit, quod etiam concil. Trid. sess. 24, de *Reform.* cap. v, conformiter dispensetur.

111. *Idem etiam cum vere nobilibus, gravibus de causis.* — Resp. II. In præfatis gradibus Papa, seu curia ejusdem non tantum

cum regibus, et vere principalibus personis, sed etiam cum illustribus, et valde nobilibus, comitibus, baronibus, prænobilibus dispensare licite potest et solet, non quidem ob quamlibet levem, sed ob majorem aliquam, vel urgentiorem causam, quales sunt. I. Conservatio familiæ, ne deficiat, de qua n. 70, Corrad. in *Praxi dispensat.* lib. VII, cap. II, n. 109, adducens exemplum dicendo ob hanc causam Gregorium XIII, dispensasse cum aliqua etiam voto castitatis obstricta, quod potuerit nubere patruo suo, qui prius habebat ejus sororem.

112. *Quenam sint tales graves causæ?* — II. Conservatio honorum intra eandem familiam: de qua cit. n. 70, Corrad. loc. cit. n. 100.

113. III. Excellentia insignium meritorum in Ecclesiam: de qua n. 71, Corrad. loc. cit. n. 109, adducens exemplum.

114. IV. Evitatio gravium scandalorum: de qua n. 75.

115. V. Est infamia mulieris nobilis, vel ex copula, vel suspecta ejusdem conservatione cum consanguineo, exorta: de qua n. 94 et 95, Corrad. lib. VII, cap. III, a n. 7.

116. VI. Est generalis causa, dicta ex certis rationalibus causis, si videlicet magna, et extraordinaria solvitur taxa pecuniaria: de qua causa n. 98, Corrad. in *Praxi dispensat.* lib. VII, cap. II, n. 122, ubi ait: «Consuevit summus Pontifex etiam super gradibus propinquieribus dispensare cum oratoribus de vere nobili genere procreatis.» Ubi etiam affert duo exempla, vi quorum Innocentius X, dispensavit in primo affinitatis gradu (qui æquiparatur in difficultate dispensandi secundo gradui consanguinitatis juxta dicenda infra n. 125) ita, ut potuerint dispensati ducere sororem uxoris prius defuncta.

117. VII. Defectus omnis dotis, teste eodem Corrad. loc. cit. n. 46, adducens exemplum.

118. VIII. Inimicitia lethales, Corrad. loc. cit. cap. II, n. 73, ubi adducit similem dispensationem factam ab Urbano VIII, cum nobilibus primo et secundo gradu consanguinitatis conjunctis.

119. IX. Si matrimonium bona fide jam esset contractum; vel si quidem mala fide, proles tamen ex illa jam esset concepta; vel diu jam in matrimonio conjuncti viverent oratores; vel ex separatione timendum esset scandalum. Navarr. de *Consang. et af-*

*fnitate*, consil. 13; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.* disp. 9, n. 4; Justis, de *Dispensat.* lib. III, cap. I, n. 112, et alii.

120. *Plures minores causæ junctæ æquivalent majori.* — Eadem fere causas allegat etiam Justis, de *Dispens.* qui insuper cum Sanch. lib. VIII, disp. 19, n. 34; Corrad. lib. VII, cap. IV, n. 19, et communi aliorum etiam bene advertit, quod, si nulla ex prædictis novem gravibus adesset causa, Papa tamen dispensare possit, et soleat, si plures ex reliquis minoribus allegantur causis; quia singula, quæ non prosunt, simul collecta juvant l. *Rationes.* et l. *Instrumenta.* c. de *Probat.* Et quidem in specie solet etiam ob ætatem mulieris dispensare Papa in primo ac secundo gradu mixto, si alia adhuc causa concurrat, teste Corrad. in *Praxi dispensat.* lib. VII, cap. II, n. 82.

121. *Dispensat subinde in eodem gradu etiam cum divitibus; et præcipuis personis alicujus loci: et quibus de causis?* — Resp. III. Super eodem secundo consanguinitatis gradu etiam cum opulentis, necnon cum præcipuis personis alicujus loci dispensare subinde solet Pontifex. Propter causam n. præced. allegatam doctores ibidem citati. II. Propter inimicitia lethales. III. Si patruelis ducere, et dotare vult dote carentem Sanch. lib. VIII, de *Matrim.* disp. 19, n. 4; Navarr. loc. cit.; Justis, loc. cit. IV. Ob extraordinariam taxam pecuniariam bono communi applicandam. Henriquez, de *Matrim.* lib. XII, cap. III, n. 6 et 9; Tambur. de *Matrim.* lib. VII, tract. II, cap. VII, § 2, n. 25 et seq.; Gobath, in *Theolog. experiment.* tract. IX, n. 678. V. Ob præcedentem copulam juxta dicta n. 94. VI. Si plures causæ ex levioribus supra recensitis concurrunt.

122. *Imo etiam cum plebeis, et quando? In secundo et tertio consanguinitatis gradu cum quibus?* — Resp. IV. Super eodem secundo consanguinitatis gradu dispensare Papa solet cum quovis etiam plebeio, et paupere. I. Ob causam n. 119, allegatam. II. Si patruelis vult dotare carentem dote. DD. n. 119, allegati. III. Si jam habetur proles ex consanguinea, vel si ex incestu est gravida vel saltem copula habita, etiam patefacta; ob hanc enim causam passim conceditur dispensatio pro foro externo, ut consanguinei in secundo gradu contrahere valeant, idque tum ob rationes supra dictas: tum ob bonum prolis: tum ut oratores evadant periculum vitæ; quam ultimam rationem

addendam in supplicatione vult Justis, de *Dispensat.* lib. III, cap. I, n. 116.

123. *Quæ causa dispenset?* — Resp. V. In secundo et tertio consanguinitatis gradu Papa dispensare potest, et solet. I. Cum omnibus, cum quibus juxta hactenus dicta dispensare solet in secundo, vel primo et secundo mixto. arg. A *Majori ad minus.* II. Ob ætatem mulieris cujusvis nondum nuptæ. Corrad. lib. VII, cap. II, n. 82. III. Cum quavis ob angustiam loci, saltem si in supplicatione additur, quod etiam extra originis locum virum hactenus non invenerit juxta dicenda infra Corrad. loc. cit. n. 11. IV. Ex causa generali allegata supra; dummodo oratores sint de honesta familia, quales omnes censentur esse, qui nulla turpitudinis nota laborant. Corrad. lib. VII, cap. II, n. 118. Tambur. et Gobath, loc. cit. V. Cum quavis ob defectum sufficientis dotis, si consanguineus ejus dotem minus sufficientem, usque ad competentiam status augere vult. Corrad. loc. cit. lib. VII, cap. II, n. 37. VI. Ad tollendas lites magni momenti, vel gravem inimicitiam Corrad. loc. cit. a n. 83. Tandem VI, teste Justis, de *Dispens.* lib. III, cap. I, n. 115, solet Papa super secundo et tertio gradu cum quovis dispensare ob quamvis etiam levioris ex allegatis a n. 69, rationabilem causam; quod etiam testatur Corrad. lib. VII, cap. III, n. 17.

124. *Super tertio et quarto simplici, et mixto gradu dispensat cum quovis ex qualibet causa rationabili.* — Resp. VI. Super tertio simplici, item super tertio et quarto mixto, necnon super quarto simplici cum quovis ob quamlibet ex num. 69, allegatis, vel aliam rationabilem causam dispensare licite potest, et solet Papa. Justis, loc. cit.; Corrad., in *Praxi Dispensat.* lib. VII, cap. III, num. 16, et alii communiter, teste continua experientia. Et merito: quia hoc ipso, quod consanguinitas in remotioribus gradibus minus forte constituat vinculum, minorem dispensandi exigit causam per dicta supra num. 99.

125. *Cum quibus et ex qua causa Papa dispensare potest, et solet super secundo, vel primo et secundo consanguinitatis gradu; cum iisdem, et ex eadem causa dispensare potest, et subinde solet super primo gradu affinitatis.* — Quæritur IV. Ex quibus causis? cum quibus personis? et in quo gradu dispensare licite possit, et soleat papa super impedimento affinitatis? de quo tit. XIV, § II. Ante responsionem notandum, distingui debere